



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singulos Anni Dies Distribvtis**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1637**

SS. Marcellinus & Petrus MM. 2. Iunii.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-44055**

*vit suam: sicut enim execrandus est ille homo, qui spem suam positam habet in homine, ita omni laude dignus, qui ex Deo totus pendet. S. Bas. Orat. 7.*

SS. MARCELLINUS & PETRUS  
M. M. 2. Iunii.

**N**ihil agis impietas; Christi servus etiam inter vincula liber est; insultabat Arthemius PETRO compedibus onerato, experiretur Dei sui vires, & rumperet catenarum nexum, si tantum in JESU nomine confideret. PETRUS non id modo præstitit, sed Paulinam insuper ejus filiam diaboli mancipium, expulso improbissimo tyranno, in libertatem asseruit, unaque Arthemio persuasit, Deo antea subsannato, cum omnibus carceris incolis, sacramentum dicere. MARCELLINVS, qui eos Christiano ritu abluerat, nudus vitri fragmentis impositus, non antè quàm ab Angelo jussus, ex illo se lecto proripuit, & cælesti veste excultus cum PETRO, quem idem Angelus cippo exemerat, Christianorum se cœtui reddidit; quibus animandis cum septem ipsos dies impendisset, pleno tandem agmine Arthemium cum uxore & filia ad supplicium euntes comitatus est. Ipsi denique in silvâ, cui Nigræ cognomentum fuit, inter senticeta, capite plexi sunt. Nihilominus vel invito tyranno, abscondi inter spinas lilia nō potuere, & sanctitatis odor rubentes suo sanguine rosas prodidit. Lucilla & Firmina castis illas manibus legerunt, & in communi SS. Martyrū viridario collocarūt. Silve quoque nomen immutatum est; pro Nigrâ, Candida posthac audit. Esto & tu lilium inter orbis spinas, & cæli candidatum te appellabo. *Ex Suario.*

*Parati simus semper irruentes vitiorum cursum*

2. Iunii  
ac fre  
lumq;  
cum  
inim  
exulta

S. N

A

illa au  
morta  
si qui  
parav  
LXX  
panni  
plum  
minis  
sum n  
nisi p  
à prec  
quam  
Vifun  
solens  
dium  
raliter  
signa  
rienſe  
suam  
& op  
ditate  
Au  
didit:  
Spiritu

2. Iunii. VITÆ SANCTORVM. 277  
ac frementes bestias de agro cordis nostri ejicere, nul-  
lumq; eis in ea, quæ juris nostri sunt, permittamus lo-  
cum perverse dominationis habere: non videant nos  
inimici nostri cedere, ne de nostris valeant recessibus  
exultare. S. Pet. Damian. serm. 75.

S. NICOLAUS STAUROPHORUS.

2. Iunii.

Altius in animum NICOLAUS verba CHRISTI  
demisit, quàm nos passim solemus. Vix enim  
illa audierat, quibus ad fortiter ferendam Crucem  
mortales extimulat, cum illico melioris fortunæ,  
si quisquam alius, sibi ipse faber crucem ingentem  
paravit, & cum hac in annum CHRISTI M.  
LXXXVIII. in Italiam venit. Ibi excalceatus, &  
pannis obsitus pueros cogere; dux his ad tem-  
plum esse; solemnia, quibus misericordiam Nu-  
minis provocamus, verba præire; ante solis occa-  
sum nihil in victum admittere; sed & tunc non  
nisi pane cibario famem, & undâ sitim domare;  
à precibus intereà nunquam desistere; Crucem,  
quam nos ultro abjicimus, nunquam deponere.  
Visum est hoc genus vitæ loci Antistiti primò in-  
solens: sed re melius inspectâ, laudavit viri stu-  
dium, & ad mensam insuper suam perquam libe-  
raliter invitavit. At NICOLAUS febrî correptus, ad  
signa sua prætextatum agmen convocavit, mo-  
riensq; inter faustas apprecationes, Crucem illi  
suam testamento legavit, magnam tam parvulis,  
& opulentam oppidò, si æstimare norunt, hære-  
ditatem. Ex Pet. de Natalib.

Auctor pietatis in Cruce pendens testamentum con-  
didit: Apostolis persecutionem, Iudeis corpus, Patrî  
Spiritum, Virgini Paranympum, Latroni Paradisum.

M 7.

peccatoris